



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Censvra Sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis, In
Librum cui titulus est: La Défense de l'authorité de N. S.
P. le Pape, ..., contre les erreurs de ce temps, Par Iacques
De Vernant, à Mets, 1658**

Université <Paris> / Faculté de Théologie

Parisiis, 1665

Ex Scriptvra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14744



AVTHORITATE SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Conciliorum, Sanctorum Patrum Ecclesiæ,
& veterum Theologorum confirmatur Cen-
suræ veritas.

Pro prima & secunda Propositione.

EX SCRIPTURA.

Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. *Math. 16.*

Dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, &c. *Math. 18.*

Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. *Ioan. 14.*

Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei Vivi, columna & firmamentum veritatis. 1. *Timoth. 3.*

Visum est Spiritui sancto & nobis. *Act. 15.*

EX PATRIBVS.

CAvenda sunt autem non solum quæ sunt apertè manifesta, sed & astutæ fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quidve subtilius, quàm & Christi adventu detectus ac prostratus inimicus (post quam lux gentibus venit, & suspirandis hominibus salutare lumen effulsit, vt surdi auditum spiritualis gratiæ admitterent, aperirent ad Deum oculos suos cæci, infirmi æternâ sanitate revalescerent, claudi ad Ecclesiam current, multi claris vocibus & precibus orarent) videns idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos? Hæreses invenit & schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem: quos detinere non potest in viâ veteris cecitate, circumscribit & decipit novi itineris errore. Rapit de ipsâ Ecclesiâ homines, & dum sibi appropinquasse jam lumini, atque evasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, vt cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem transfiguratur se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros justitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obten-

Cyprian.
lib. de Uni-
tate Eccles.